





2

ORATIO ACADEMICA,  
AUGUSTISSIMO INVICTISSIMOQVE  
NOMINI AC NUMINI  
CÆSAR. MAJEST.

Devotissimè Gratulatoria,  
Ob partam felicissimè VICTORIAM,  
Adversus Turcas barbaros,

*ad Zentam,*

WITTENBERGÆ SAXONUM, SOLEMN. ACTU  
Habita in Auditorio Majori,

Die  $\frac{xv}{xxv}$ . Octobris,

ANN. cIo Idc XCVII.

A

GEORGIO CASP. KIRCHMAJERO,

Acad. Seniore, Orat. Prof. Publ. &  
t. t. Ordin. Philos. Decano.



WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.



ORATIO AC ACADEMICA  
AUGUSTISSIMO INVICTISSIMOQUE  
NOMINI AC NUMINI

CAESAR. MAJEST.

Devotissime Gratulationis  
Ob parvam felicissime VICTORIAM  
Adversus Turcas barbaros

WITTENBERGAE SAXONUM SOLEMNI ACTU

Die 7. Octobris  
ANN. MDCCXCVII.

GEORGIO CAST. KIRCHMAJERO  
Acad. Seniore, Orat. Prof. Publ. &  
c. Ordini Philol. Decano.



WITTENBERGAE THEO. CHRISTIANI CHRODTERI Acad.





**F**astis, ad memoriam perennem,  
RECT. MAGNIF. PATRES A-  
CADEMICI & CONSCRIPTI,  
Patroni & Collegæ honorandi, Vosq;  
cæteri AUDITORES Nobilissimi,  
spes Patriæ selecta; Fastis, inquam, ad memoriam  
perennem inscribendus proximè elapsus Septem-  
bris Mensis est; qui tot in Orientis pariter ac Occi-  
dentis Solis tractibus, & quidem intra dies XI. affe-  
ctu & eventu varia miracula Europæ, quantum  
Christiano nomine æstimatur, universæ, Numine  
clementer annuente, peperit. Æquato nocti die,  
cùm irradiaret Libram Sol, (notate poster!) in  
pso noctis & diei libramento, *Sol infinitus radios*  
Concordiæ stabiliendæ mentibus infudit Regum  
Principumq;ve Augustissimorum Splendidissimis  
Legatis, pridianâ luce scilicet; ut, quem justî lan-  
ce hætenus æquaverant afflicti Orbis hujus sta-  
tum, exoptatæ sæpius diuq; Pacis serenissimo  
tranquillo recrearent. Etsi enim inter Maximos  
Britanniæ, Galliæ, Hispaniæ Monarchas, Belgiiq;  
fæderati Ordines, Imperio Germanico-Romano  
non excluso, sed providentissimè cunctanti, tan-  
ta videatur acta res; speramus tamen, brevi fore,  
ut cùm sacrosancto Capite ingentis Corporis tot  
membra, suo etiam assensu comprobent applau-  
sum Pacis solennissimum. Vix antea delineatum  
mappis *Rysvicense* prædium, aut Castrum,  
vicinum *Hagæ Comitum & Delpho*, hoc dignitatis  
meruit, ut ab Oratoribus Excellentissimis, hinc in-  
de confluentibus, Aularum plurimarum pompâ,  
sed imprimis à tractatione Pacis, longius illu-

A

stra-



straretur. Missi enim à viginti sex, aut septem  
Potentissimis Heroibus, Imperatore, Regibus,  
Principibus, Provinciis unitis fædere, Mercurii  
cum caducéo plures coelestissimi, advigilante su-  
pra modum Sveciæ Legato, *Nicolao Lilierootio*  
Barone, post accuratissimè expensa dissidentium  
hûc usque partium momenta, Pacis sancientiæ  
studium in feræ noctis, & antelucanas horas, ut  
subscriptione firmarentur pacta, extraxerunt.  
Signetur albo lux vicesima Septembris nuperi la-  
pillo, & trabali infigatur clavo! Sed & proximè  
hunc diem dies sequens, **CORONATIO POLO-  
NORUM REGI, SAXONUMq; ELECTORI,**  
Dominonostro longè Clementissimo, solenniore  
ritui sacer, in Annalibus posteritati commende-  
tur! Jam quid de antiquissima pulcherrimaque,  
qualem in Trajano suo Plinius deprædicat, Victo-  
ria dicemus? in Pannonicis, Tibiscobflumini vici-  
nis, campis, contra Thraciæ ac Scythiæ insole-  
scantis barbaros, decendio superiori, quam Pax  
stabiliretur, reportata. Gaudiorum certè nume-  
ro ac pondere obruimur; ignari, quid aut primo,  
aut secundo numerandum loco sit, & gratulatio-  
ne Panegyricâ ornandum? Abripit nos pietas, ut  
prospera **AUGUSTO FRIDERICO, REGI,**  
**PATRI PATRIÆ,** quantumvis ablit, compre-  
cemur: multitudo acclamantium feliciter! felici-  
ter! feliciter! jam instauratæ Pacis, ad societatem  
animat lætitiæ communis. Nos quid igitur? a-  
gamus gratias devotas Numini, pro coelestibus  
muneribus, incomparabili felicitate ac velocitate,  
Christiano nomini & coetui concessis? Gratule-  
mur potius **IMPERATORI LEOPOLDO**  
Nostro Invictissimo Piissimoq; qui, quò major in-  
nocentiæ & justitiæ, per Regna sua, Moderator  
est, hoc pariter frequentiores agit, de conjura-  
tis



tis hostibus, Triumphos, exeuntis seculi prodigi-  
um. Meretur tanti operis divinitas, ut paullo il-  
lustretur clarius, & in apertam exponatur lucem  
nunc. Sed cum ex ore etiam infantium præco-  
nia admittere Majestas Dei soleat; non dedigna-  
bitur Vicarium in terris Numen Cæsaris Sanctissi-  
mi, ut in eadem Cathedra, quâ olim ipse, & per Fi-  
lios adultiores meos postea, consuevi Panegyricis  
sermonibus applaudere Victoriis Cæsareis, adver-  
sus Turcas barbaros, obtentis, submississimâ appa-  
ream congratulatione iterum. Te, RECT. ACAD.  
MAGNIFICE, Vosq; AUDITORES O.O. Honoratissi-  
mi, quâ possum, reverenter oro & modestiâ &  
humanitate, ut in celeberrimo confessu hoc de-  
clamaturo mihi faveatis!

Post tot tantasq; strages, eò insolentiæ proces-  
sit pervicax & rabiosa gens Turcarum, ut consiliis  
subsidiisq; Gallicis adjuta, Daciam recuperare u-  
niversam cum Pannoniis, præoccupare Transyl-  
vaniam, redigere in angustias victricia nostro-  
rum arma moliretur: Spe jam devoraverat flu-  
minibus vicina castra, arces, oppida. Biennio  
superiori, cum præsentiore ausu fortitudinis,  
quàm providentiâ & robore, tentaret aleam Dux  
Veteranus, portâ ferreâ erumpens, more fulminis  
in hostem, decuplo & numero & viribus mayo-  
rem, casus accidit infelix; ut non equidem in-  
ultus, cum nonnullis Legionibus, concideretur,  
gloriosè; sed in Christianæ tamen dignitatis i-  
gnominiam circumferretur spiculo hostili caput  
lenio, & gestis venerabile; ad ostentationem  
insuper triumpho ficti, victi velut, & catenis vin-  
cti milites, sexcentis amplius, spectaculo Con-  
stantinopoli producerentur. Ad exemplum fu-  
gacissimi Caligulæ Imperatoris, Imperator visus  
Turcicus: is quippe, testimonio Eutropii, nil e-  
git



git olim strenuè in Svevia, nisi quòd gerendo se-  
gniter ac delicatè se, Bellini Batavorum Regis  
filium receperit Admimocinum in deditionem;  
traditâq; velut universâ insulâ, magnificè osten-  
tatrices literas, latoribus subinde monitis, per-  
tenderent vehiculo ad Curiam & forum, nec,  
nisi in æde Martis, frequentissimo Senatu, trade-  
rent Coss. præceperit. Sic & Domitianus falsò  
de Germanis triumphavit; quod in vita soceri  
Agricolæ observat, cum Dione, Tacitus. Par ra-  
tio Imperatores Claudium, Vitellium & Gallie-  
num dementavit: & quem nostris alium, præ-  
terquàm illum Oriens dejectus facillè objecerit?  
Profectò verbis exprimi haud potest, quanto in-  
fultarit opere imaginarius hic Hannibal, & Po-  
lyphemo propior, Legatis Anglico & Belgico, ad  
amicitiam propitiandam misis; ut vix dignare-  
tur longiùs adspicere. Mars dubio eventu stete-  
rat sequenti anno, cum æquatis ferè pensarentur  
cladibus utrinque arma. Dira jactans identi-  
dem trux natio Germanis, navibus Danubio in-  
strato classis, copiis terrestribus advecta, LXX.  
millibus Virorum aderat ad portûs Regni & ad  
portas Hungarorum ferocissimus Tyrannus, non  
destiturus priùs, quàm & flammis vastatricibus,  
& ense barbaro in miserandum redegisset univer-  
sa habitum; nec dubitaverat cum Purpuratis  
suis primi ordinis, quantumvis arma ipsi Moschi-  
ca & Veneta, diversis simul spaciis, opponeren-  
tur, ipsemet adesse ac præesse exercitui. Præ-  
dones Scythicos, immane & ruinis inferendis na-  
tum agmen præmittebat, ut pernicitate cursûs  
anteverterent dispositos ad Daciam custodes hâc,  
quâ patet iter, inter rupium angusta. Galli, fæ-  
dere familiares barbaris persuaserant, non suffe-  
cturum militem Cæsarium, & incolarum animos  
exul-



exulceratos valdè, socios pro libertate regionis  
& Religionis, & commilitones affuturos protinùs,  
repræsentabant. Insulæ, vicinæ Petrovaradino  
incubare, mox & inhiare Segedino videbantur.  
Plurimum momenti confert ad consilia & vi-  
ctoriam audacia exploratorum; cùm non op-  
primatur citiùs, quàm qui nihil timet, aut conte-  
mnit hostem. Nuncios ac præcursores emitte-  
bat sagax Belli Dux *Eugenius*; præclarè partium  
suarum fatagens. Hoc loco libet liberè fateri,  
Sapientiam non tam annorum numero, quàm  
iudicio, & animi alacritate æstimandam. In Hispa-  
nis improbant Politicorum filii senile frigus &  
cunctationem; præcipitia consilia Gallorum, &  
per abrupta æstum, proprium ætati juvenili, rariùs  
laudare solent; Italos, occasionibus per viam me-  
diam insidiantes observârunt hætenùs. Quis  
dubitet, Excellentissimum Heroa, Principem *Eu-  
genium* occasionem fronte capillatam sapienter  
admodum arripuisse? Postquàm ex indicibus,  
quò tenderent ludificationes barbarorum, didi-  
cit, rorarios, ad velitationes aliàs expeditissimos,  
(*Hussaros* nominant) præmisit. Ex Alariorum  
ordine præfectus aliquis Legionarius, (sic apud  
suos *Bassa* audit,) quem præcipitabat equus, inter-  
ceptus commodè, detexit hostium in præsens  
statum. Auctus Legionum aliquot subsidiis, &  
præfidiis è Transylvania, ad vires uniendas, evo-  
catis, etsi minor, cum exercitu majori numero,  
congrederetur, statuit in quadrum ordinare le-  
giones, ad utrumque latus alas distribuere, ex-  
pansis Aquilarum signis, imperare classicum; du-  
ctabat agmen ipse medium, hostilia obequitando  
castra, & ad conferendas manùs, irritando:  
quàm intrepidè rem gesserit *Ruthen*. Comes

B

Ilu.



Illustrissimus, mors docuit Herois. Strenuam navabant enim operam Saxonicae Brandenburgicaeque copiae Electorales; quae ductoribus fortissimis urgebant hostem adeo, ut ad castrensia munimenta sua propugnaculis instructa & non simplici recessu curruumque validis impedimentis, veluti ad sacram anchoram confugerent. In summa animorum consternatione hostis praecipit ad fugam, Nostris ad conflictum animatis, & non procul Zentâ, die 2<sup>ae</sup> Septembris, ad vesperascente jam, decenter ordinatis, occupatus pons vectorius; quem Gallus artifex invenit, & vehiculis imponi iussit Imperator Turcicus: spectaculo inusitato, Equites delapsi equis & peditibus immixti, transitu prohibuerunt barbaros, grassati ensibus in terga fugientium & sclopiis. Inter occisorum strata corpora, eximii cadaver spoliatum; bulla signatoria *Sultani* docuit, gestari solita à Principe Purpuratorum, quis quantusque simul interfectus esset? Vidisses hinc à nostris partibus Leones milites, illinc lepores, in pedes se conjicientes. Superabant longè numero nostrates barbari; furore & clamore primus major, quàm Virorum impetus; secundus minor, extitit, quàm foeminarum. Pontibus instratus, per lutosa, & vadosa, ut pateret transitus, Tibiscus; naviculis advectis Thraciâ, Danubius. Accensi eò magis Christiani milites spe praedae insuper, quam nacti postea opimam sunt, instare barbarorum tergis, intercludere diffugientes, occupare pontes, ne dejicerentur, aut comburentur flammis vastatricibus. Proh Dei hominumque fidem! bestiarum instar mactandarum, vel praecipites à perangusto ponte, merfi flumine, vel casu, aut consilio enataturi, multa millia suo-



fuorum haurienda fluctibus & aquis obtulerunt  
janitori Cerbero. Relicta signa, castra, cum ma-  
joribus tormentis & minoribus, tentoria, supel-  
lex omnis, vasa denique, & quicquid apparatus  
bellicus requirit. Pedites, Prætoriani maximè, qui  
non elapsi fugâ sunt, contrucidati cum militiæ  
Præfectis summis. Gloriosus ipse Thraso Thra-  
cius, Sultanus, cum Pontifice absurdo, ad oppo-  
situm consistens littus, barbam vellere, fædare  
faciem, exaggerato alveo cadavera conspicere,  
turbari, desperare de salute, anxius hûc illûc ob-  
errare. Quis non videt, Numinis, Omnipotentis  
inquam, minimè silendâ manu, timidos, imbelles,  
compotes vix animis effectos, hostes esse? Nisi  
fama, quæ in majus omnia extollit, vana, viginti  
adversariorum millia vel trucidata, vel convulne-  
rata, vel demersâ undis; commeatus pænè o-  
mnis bellicus victori militi Cæsario relictus ad di-  
ripiendum. Numerosi armentorum greges, ca-  
melorum pecudumque multa veluti examina,  
cessere nostris, succedentibus in munimenta ho-  
stica. Pulcherrimam & antiquissimam Traja-  
nus alter, LEOPOLDUS Imperator obtinens  
victoriam commeruit, ut non Romanus tantum,  
aut Germanicus, sed Dacicus, & Thracicus confa-  
lutetur. Maxima Austriacorum gloria & pietas  
Imperatorum laudibus ornatur ab Historicis, il-  
lorum nempe meritissimorum immortalis famâ  
dignis: si eventus rerum tamen æstimes à Pro-  
videntia Cœlesti, testimonium experientia non,  
nisi LEOPOLDO, tribuet, feliciori singulis Ma-  
joribus. *Fridericus* enim ( ut eamus per exem-  
pla ) III. Ernesti filius, Austriaci Leopoldi nepos,  
turbis Pannonum Bohemorumque impeditus, lu-  
em, quæ tum grassabatur, Machometricam aver-  
tere



tere non poterat; quin Venetis repressis, & Epi-  
ri Duce Alexandro, in Italiam rejecto, Macho-  
metes alter, intra annos amplius XXX. Constan-  
tinopolitanum pariter & Trapezuntium Impe-  
ria in Oriente, Regna IV. *Peloponnesum, Syri-  
am, Armeniam, Sclavoniam*, Provincias XX.  
Urbes Christiano nomini eriperet ducentas: ne  
quid memorem de *Lemno, Mitylene, Eubæâque*  
Insulis *Ægæi maris*. *Maximiliano I. Cæsare*,  
quis rebus gestis, sapientiâ, magnitudineque ani-  
mi illustrior? *Selimi I.* interim furorem, *Hiero-  
solymas, Arabum, Ægyptum*, & maritimos ad A-  
fricam spectantes portus expugnantis, & *Croa-  
tiam* vastantis, rabiem reprimere haud poterat:  
quin Christianorum multa millia mactaret, pluri-  
bus in servitutem raptis. Quis, à *Carolo Ma-  
gno* major *Quinto* extitit potentiorve? Quis  
Clementior Religiosiorq; *Ferdinando I. & II. Ma-  
ximiliano* fuit? Tot tantique tamen etiam In-  
comparabiles Augusti, jam obsidione cinctam  
Austriæ metropolin, *Viennam*, jam ereptam *Bu-  
dam* cum *Strigonio*, jam *Albam Regalem, Gyul-  
lam, Chonadium, Canischam, Quinque ecclesias,  
Vacziun, Esseckum, Vicegradum, Sigethum*,  
castra longè munitissima, tyrannide immani ab  
Hungariæ incubo, aut flagello, *Solymano* capta,  
doluerunt. Etsi enim *Castriotæ, Svendii, Ser-  
niorû*, invicta non deessent nomina, vis certè bar-  
barorum major, quàm quæ superari posset, exti-  
tit. *Selimus* alter, *Solymani* filius, *Nicosiam,*  
*Famagustam, Cyprum* insulam, *Naupactum* o-  
mnem subjugavit. Nulla equidem oblivione se-  
peliri, vel invidiæ memoriâ obteri moderatissi-  
morum Cæsarum, *Rudolphi II.* vel *Matthiæ*, Au-  
gustissimorum fanè Principum, prudentia & vir-  
tus



tus debet; sicut nec Imperatorum omnium fortissimorum, *Ferdinandi II. Tertii*que, mortalium elogia supergressorum; quibus nihilominus in-  
vitis, *Amurathes* atque *Machometes III. & IV.* (de Achmete Ottomannoque ne quid memorem,) utramque insultavit per Hungariam crudeliter. Soli, soli, ad hoc tempus LEOPOLDO Nostro Invictissimo felicitas hæc Fato, Fato inquam moderante, fallor? an periodo appropinquante Gogi & Magogi? propria servata est; ut, quæ jam ante unum alterumque seculum tot barbarorum immanissimi Tyranni, per Pannoniam & Daciam excusserant Majoribus, sub uno, intra annos vix XII. Imperatore, restituerentur LEOPOLDO; retinenda, si libertas conscientiæ & juribus constiterit. Æquum est, ut Numinis clementiæ agamus gratias cumulatissimas pro tantis beneficiis! simulque gratis agnoscamus animis, inauspicata arma minimè Confœderatos Ordines, ex Protestantium, quos nominant, Principibus, conferre solitos! quod ingratiissimi pro tot officiis Hispanici Inquisitores Regi alioquin Optimo Piissimoque, persuadere conabantur nuper. Docuit haud ita pridem masculè defensa à Germanico Heroë, Hassiæ Landgravio, adversus Gallicos assultus & indomitum furorem Barcino, Tarraconens. Hostium in manûs, si Hispaniæ Titanes obstitissent fortius, non pervenissent. Dudum periisset, quicquid Belgii Regalis superest ad hodiernum diem, nisi Teutones, Britanni, Batavi, interque eos primus ipse præsens Angliæ Rex Maximus WILHELMUS conservassent ac asseruissent.

DIXI  
C

Duci



Duci Illustrissimo, EUGENIO FRANCISCO  
A SABAUDIA, SABAUDIÆ PRINCIPUM  
Familiaë, Cariniani Domino, è prisca stirpe Pal-  
miti Generosissimo, quantumlibet invitus lau-  
des suas audiat, stet Laurus! Adamantinum de-  
pangant Musæ clavum! præfagio solidioris fau-  
stitatis & illustriore plausu dies memorabilis si-  
gnetur! Publicæ felicitati ac lætitiæ applaudant  
boni omnes! Festis ac festivis Lampadum spe-  
ctaculis victorioso Capiti aggratulentur atque  
Exercitui! Magistros tormentorum Martiorum  
excitet ignipotens Vulcanus! Bolides, cylin-  
dri, faces, flammæ missiles convolitent! Heroi-  
cis distingvat gesta symbolis, emblematis, par-  
ergis Christianus, sed in positivo gradu, Orbis,  
cùm in Superlativo doleat. Memoriam peren-  
nem, intercolumnaribus in spaciis, Inscriptionum  
Tabulæ, ingentibus suspensæ peristyliis theatra,  
fiderum lampadophorum imitentur majestatem!  
SOL in LIBRA libret mundi Cardines, & mo-  
numenta ordinet secundioris ævi, dum novum  
fata ordiantur seculum! Concurrite Togati quo-  
que milites, solenni hodierno auctorati, ad læ-  
titiã communem! quando exterorum Musæ  
etiam, hûc invitataë, convolant. Heroum Sa-  
baudorum alter Oculus, EUGENIUS FRAN-  
CISCUS Turcica tropæa repræsentet! Cu-  
pressu redimita Salamis, ornata Rosis Cyprus,  
Eqvestris statua ex ære fusili marmoreo finga-  
tur insidens Caballo! ad appareat religio-  
sus fervulus, acclamans:

DIXI.







ORATIO ACADEMICA,  
AUGUSTISSIMO INVICTISSIMOQVE  
NOMINI AC NUMINI

CÆSAR.

Devotissimè

Ob partam felicissimam

Adversus Turcos

ad Z...

WITTENBERGÆ SAXONICÆ

Habita in Aula

Die <sup>XV</sup>/<sub>XXV</sub>.

ANN. clxxv

GEORGIO CASPARI

Acad. Seniore,

t. t. Ordin. Prof.



RUTA FERT  
ET SPLENDEAT  
SAXONICA!

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

